



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

II. De Scandalo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

idque ob rationes *num. prac.* allatas, quæ fortius urgent in proposito, ob amorem à filijs specialiter debitum parentibus.

13. Quæres, quale peccatum sit Maledictio, qua alicui homini malum imprecamur, v. g. ut fulmine, laqueo pereat, diabolus eum rapiat, &c. Resp. I. Certum est, maledicere alicui serio, & ex animo, esse ex genere suo peccatum mortale, quamvis ex inconsideratione actus, vel levitate materiæ, aut si non fiat serio, sed potius ad ostendendam suam displicentiam, vel indignationem, possit esse veniale: puta, si parens filio, hera ancillæ malum imprecetur, non ex animo, ut ita eveniat, simulque id fiat absque notabili honoris imminutione; uti post alios exemplificat Layman *loc. cit. cap. 8. num. 8.*

Maledictio
quale peccatum sit?

14. Resp. II. Proximo sine justa causa serio maledicere, seu malum optare, Charitati repugnat, & ad peccatum Odij pertinet; interdum etiam Justitiæ repugnat, & ad Contumeliam spectat. Ita communis. Exemplum prioris est: si quis cuiusdam absentis ex animo maledicat; nam hoc soli Charitati contrariatur. Exemplum posterioris est: si quis serio maledicat præsentis, ac in faciem ipsius; hoc enim insuper continet Contumeliam, quia lædit honorem Proximi.

Et cui virtuti repugnet?

15. Solent hoc loco Doctores agere pariter de Invidia, & Acedia, utpote quæ etiam sunt peccata mortalia Charitati repugnantia. Verùm de istis jam dictum superius (b) explicando septem Peccata Capitalia, inter quæ & hæc duo connumerantur.

De Invidia, & Acedia, remissive.
(b) Tract. 3. Dist. 3. quest. 4. & 7 per totum.

QUÆSTIO II.

De Scandalo.

16. **C**ONCL. I. Scandalum rectè definitur, dicendo: *Scandalum est dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis.* Ita communis. Dicitur, *dictum, vel factum*: quia externa tantum actio (subintellige quoque omissionem ejus) potest habere rationem Scandali, non autem sola cogitatio interna. Et additur, *minus rectum*: quia non solum actio mala, sed quæ tantum habet speciem mali, potest habere rationem Scandali, si alteri occasionem peccandi præbitura sit.

Scandalum, quid?

17. CONCL.

Scandalum
activum seu
datum, quid?
Est adhuc
duplex.

17. CONCL. II. Ejusmodi Scandalum dividitur in activum, & passivum. *Scandalum activum*, quod & datum appellant, est illud, cui proximè data definitio convenit, & de quo ex professo loquimur. Et hoc rursus duplex est: nam Scandalum activum aliud est proprium, seu per se tale, dum scilicet quis expressâ intentione dat alteri occasionem peccandi, hortando, inducendo, vel faciendo aliquid, quod per se est inductivum ad peccatum; & hoc dicitur *Peccatum speciale Scandali*. Aliud est improprie activum; ut fit, si quis ejusmodi actionem exerceat, quæ *suapte naturâ* apta est alteri occasionem peccati præbere, etsi hoc non intendat: ut si quis die jejunijs carnes comedat coram talibus personis, quæ spectatis circumstantijs possunt inde accipere occasionem violandi præceptum Ecclesiæ, vel Fidei iacturam faciendi.

Scandalum
passivum
generatum.

18. *Scandalum passivum* generatum est ipsa spiritualis ruina proximi, in quam quis labitur occasione ab alterius dicto, vel facto acceptâ. In proposito tamen passivum accipitur, prout contradistringitur ab activo, arque alio nomine dicitur *Scandalum acceptum*, seu *Scandalum mere passivum*; estque illud, cum & præter intentionem operantis, & præter naturam, seu conditionem operis, alter ex eo peccandi occasionem accipit. Et hoc subdividi potest in *Scandalum pusillorum*, quod ex hominis ignorantia, vel fragilitate provenit; & in *Scandalum Phariseorum*, quod ex mera malitia alterius ortum habet: prout olim Pharisei, propriâ malitiâ, & invidiâ erga Christum excæcati, ex optimis ejus actionibus, miraculis, & doctrinis scandalizati sunt, à quibus proinde *Scandalum Pharisaicum* appellatur.

Peccatum
speciale
Scandali,
quando
committitur?

19. CONCL. III. Peccatum speciale Scandali committitur, quoties quis dat, seu dare intendit alteri occasionem ruinae spiritualis, eâ nempe intentione aliquid dicendo, vel faciendo, ut ille peccet: & talis, qui alium inducit ad peccatum, intendens illius damnum spirituale, peccat duplici peccato, videlicet peccato speciali Scandali, quod opponitur Charitati, & Correctioni fraternæ; simulque eo peccato, quod ab altero committitur, seu ad quod induxit alterum. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia, qui ex intentione est causa peccati alterius, hoc ipso vult illud peccatum; & consequenter etiam ipsius est reus, & non solius peccati Scandali. Hinc talis non satisfacit in Confessione, dicendo, se alterum ad peccatum induxisse, sed tenetur insuper exprimere speciem peccati, ad quod induxit, utpote vel directè, vel saltem indirectè & in sua causa voliti.

20. Ad:

20. Adverendum tamen, non semper esse peccatum mortale, licet quis expressè intendat ruinam proximi: quia si hoc sicut duntaxat peccatum veniale, ut puta levis indignatio, ad quam quis proximum inducere intendit, erit tantum peccatum veniale. Ratio est: quia quantitas culpæ peccati Scandali ex solo proximi damno desiderato pensanda est. *Basilius 7. Scandalum,*

Non semper est peccatum mortale.

21. CONCL. IV. Scandalum activum ex suo genere est peccatum mortale, quoties quis tenetur impedire occasionem peccati proximi, abstinendo ab opere illo, quod est occasio Scandali, & non abstinere, sive deinde intendat ruinam proximi, sive non. Ita communis; & ratio clara est: quia (ut supponitur) tenetur impedire occasionem peccati proximi, & non impedit; unde locum habet illud Salvatoris, Matth. 18. *Va homini illi, per quem scandalum venit. Additur notanter, quoties tenetur impedire abstinendo &c. & non abstinere: quia non semper tenetur quis abstinere, ut amplius declarabitur in sequentibus.*

Scandalum activum quando, & quale peccatum sit?

22. CONCL. V. Licet is, qui absque sufficienti & justa causa facit opus indifferens (idem à potiori dicendum de opere ex se malo, seu peccaminoso) quo credit alios abusuros ad peccatum, censetur cooperari peccato alieno, dando scandalum activum, & consequenter peccet: nihilominus si quis aliquid ex se indifferens faciat iustâ intercedente causâ, non peccat, quamvis ex eo alterum videat sumpturum occasionem peccandi, dummodo hoc nullatenus intendat. Ita Doctores passim. Ratio primæ partis est: quia quilibet tenetur, quantum commodè potest, præcavere, atque impedire peccatum proximi; aliter enim faciendo censetur illud indirectè, sive in sua causa velle. Altera verò pars suadetur ex eo: quia talis non censetur cooperari, neque velle peccatum alterius, sed jure suo utendo illud duntaxat permittere.

Idipsum amplius ostenditur.

23. Porro justa causa faciendi aliquid indifferens, quamvis eo credatur alter abusurus, non solum est grave damnum, quod quis pateretur abstinendo à tali opere, verum etiam quævis alia causa, quæ iudicio viri prudentis iusta censetur. Nam non semper æqualis causa erit proportionata ad excusandam ministracionem indifferentium, cuiusdam abusus factam: sed quandoque major, vel minor requiritur causa, prout & illa indifferentia remotius, aut propinquius ad illum abusum propinquant; vel etiam gravior, aut minus gravis est obligatio illius virtutis, cui

Causa justa faciendi aliquid indifferens, quo alter creditur abusurus, quæ?

peccatum illud proximi hac occasione committendum opponitur, uti notat Sanchez *lib. 1. in Decalogum, cap. 7. num. 12.* cum alijs. Sic vendens ornamenta, vel fucos, quibus mulier jam parata abutetur, excusari potest à peccato mortali, si ipso non vendente alter venderet: quia vendere talia ex se est indifferens, ac remorè solùm dat ansam peccato, simulque subest proportionata causa vendendi; nam alioquin mercatori sequeretur damnum notabile, cùm negando talia passim amitteret emptores. Et ob eandem causam excusari possunt caupones vinum præbentes illis, qui timentur se inebriaturi; vel præbentes coenam eis, qui eandem in die jejunijs petunt; item & famuli parantes mensam, aut mensæ inservientes, vel cibos coquentes: quia hi non concurrunt ad potationem, vel comestionem, ut est inebriatio, vel fractio jejunijs, sed ut est quid deserviens ad refectioem, quod non est intrinsecè malum, sed indifferens.

Vitanda ratio
men Propo-
sicio dam-
nata.

24. Econtra verò Innocentius XI. jure sequentem Propositionem, ordine 51. damnavit: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem deservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis damni, puta ne à Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Et meritò hæc Propositio damnata, sicque vitanda est, eò quòd actiones illæ admodum propinquæ ad peccatum accedant, imò ad id cooperentur, dum quis eas scienter exercet.

Scandalum
merè passi-
vum inter-
dum per-
mitti potest,
interdum
non.

25. CONCL. VI. Scandalum merè passivum, seu acceptum ex nostra operatione, quæ neque in se, neque in specie externâ illicita est, interdum permitti potest, interdum non. Ita Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 8.* cum alijs communiter. Ratio est: quia præceptum impediendi spiritualem ruinam proximi non permittendo Scandalum passivum, est præceptum affirmativum: hoc autem non semper obligat, sed concurrentibus certis conditionibus.

Quando
non possit
permitti?
Et quando
possit?

26. Itaque Scandalum merè passivum permitti non potest, sed debet impediri, quotiescunque nulla ratio necessitatis, vel utilitatis propriæ, aut alienæ cogit nos quidpiam agere, ex quo putamus alterum fore scandalizandum, seu sumpturum occasionem peccandi: quia lex Charitatis nos obligat, impedire peccata proximi, non minùs, ac alia eius damna, si facile possumus. Econtra verò ob causam necessitatis, vel utilitatis, potest permitti Scandalum merè passivum; ac proinde, si ur-
get

ger necessitas, vel utilitas, licetè aliquid cæteroquin non malum fit à nobis, quamvis exinde alij sumant Scandalum, seu occasionem peccandi. Exempla nonnulla patent ex dictis *num. 23.*

27. Quinimò fas est ob justam causam necessitatis, seu utilitatis, perere ab altero talia, quæ rectè & sine peccato fieri possunt (notanter hoc additur, quia nunquam licet inducere alterum ad agendum id, quod sine peccato fieri nequit) tametsi alter malè, & non sine peccato hoc præstiturus existimetur. Sic licetè ab usurario in casu indigentia petitur mutuum, quamvis ille sciat usuras exacturus, & sic peccaturus. Similiter, si id necessitas postulet, possum ab Infideli juramentum exigere, licet sciam ipsum juraturum per falsos deos. Insuper Parochianus potest à Parocho concubinario exigere, & recipere Sacramenta, quamvis timeat, hunc non nisi cum peccato ministraturum. Ratio est: quia talia opera possunt licetè præstari; nem potest Sacerdos præmissa, si velit, Confessione, vel saltem Contritione, absque ullo peccato ministrare Sacramenta, alter jurare per Deum verum, si hunc agnoscere velit. aut dare gratis mutuum: unde quia habeo justam causam exigendi, non pecco talia exigendo, ac permittendo eorum peccata.

28. CONCL. VII. Major tamen causa requiritur, ut permittatur Scandalum passivum ex infirmitate, aut ignorantia, quod vocant *Scandalum pusillorum*, quam requiratur ad permissionem Scandali Pharisaici, seu ex malitia. Ita communis. Unde notant Doctores, Scandali Pharisaici nullam plerumque habendam esse rationem: si autem prævideatur Scandalum ex ignorantia, vel fragilitate secuturum, plerumque esse condescendendum, aut præmittendam debitam instructionem, vel admonitionem.

An ex causa licitum sit, perere ab alio talia, quæ non sine peccato præstiturus existimatur?

Exempla, in quibus id licet.

Quid dicendum de Scandalo Pusillorum, & Pharisaicorum?

Q U Æ S T I O III.

De Discordia, Contentione, & Schismate.

27. CONCL. I. *Discordia* est dissensio voluntatum circa bonum, quod ex Charitate velle debemus. Ita D. Thomas *2. 2. quæst. 37. art. 1.* & alij. Sicut enim concordia & pax consistit in consensione voluntatum, ita discordia in earum dissensione. De hac utraque extat vulgatum illud proverbium: *Concordiæ res parva crescunt, Discordiâ magna dilabuntur.* Dicitur in

Discordia, quid?